DE

ANTINOMIS SCHOLASTICIS

OCCASIONE

LEGVM SCHOLASTICARVM

IN

GYMNASIO DRVSICO

D. VI. SEPT. MDCCLXIV

MORE HORISQVE CONSVETIS PRAELEGENDARVM

NONNVLLA DISSERENS

AD

SOLEMNEM ACTVS HVIVS CELEBRATIONEM

SVMMOS

REGIAE CIVITATIS ELBINGENSIS

PROCERES

EVERGETAS GRATIOSISSIMOS

OMNESQVE

GENERIS DIGNITATIS MVNERVMQVE SPLENDORE

MAXIME CONSPICVOS

MVSARVM AMANTES

DEMISSISSIMA CVM OBSERVANTIA

ORAT

ET QVAM OFFICIOSISSIME

INVITAT

IOANNES LANGIVS

RECT. P. P. ET BIBL.

Elbingae.

Ex Typographia Nohrmanniana.



Tanta Antinomorum in mundo deprehenditur caterva, tantaque multitudo, ut illis pollicem premere teneamur, qui re probe cognita affirmant, tot ad eorum tranſiiſſe caſtra, quot e ſanguine humano prognati, a protoplaſtis, omnium terrigenarum conditoribus, ortum trahunt mortales. Ipſum hinc Adamum, viventium patrem, primum fuiſſe Antinomum, ambabus ut ajunt manibus concedet omnis, cui e Sacra Scriptura edocto conſtat, eum, lege divina in integritatis ſtatu ſusque deque habita, de arbore ſcientiae boni malique prohibita comediſſe fructus. Cujus dum natura poſteri, ad Adami imaginem poſt lapſum nati, participes ſunt facti omnes, mirum non eſt, illos quoque, parentum veſtigiis inſiſtentes, conatuum ac ſtudiorum pravitatem jam a pueris prodere, annis vero creſcentibus ſuam contra praecepta divina majori fervore niſuque declarare inobedientiam. Non ergo noſtris tantum temporibus antinomiae crimen in ſcenam mundi productum eſſe, ſed jam a protoplaſtorum lapſu ſuos trahere natales, ipſamque primi peccati formam in contemtu legis divinae conſiſtere, ſole clarius, ut opinor, eſt meridiano.

Quam-

Quamvis vero Antinomorum practicorum aetas primis legum transgreſſionibus ſit coaeva, & in omnes mortalium ordines diffuſa, ita ut nullum tempus, locus nullus, nullaque deprehendatur ſocietas, eorum labe non inquinata: theoreticorum tamen, non tam factis quam verbis aequitati ac Superiorum juſſui repugnantium, originem in recentioribus demum quaerendam eſſe ſeculis, hiſtoriarum docent monumenta. Transeo, quod & ſtudium Juridicum ut & Medicum ſuos habeat Antinomos, legibus optimis adſtringi recuſantes, & medice vivere idem eſſe ac peſſime vivere clamitantes. Illorum potius rationem habeamus, quos in ſtatu eccleſiaſtico juxta ac ſcholaſtico, ſaluberrimarum legum neceſſitate in dubium vocata, acerrimos earum reſpublica ſentit inimicos. Quod itaque ad illos, qui ex Chriſtianorum coetu aſſerunt, legem in eccleſia nullius uſus, & poenitentiam non ex lege, ſed ex evangelio hauriendam eſſe, hi in hiſtoriarum annalibus Antinomorum proprie veniunt nomine. Datur vero ex Hoornbeeckii, quam in Summa controverſiarum L. X. prodidit, ſententia triplex eorum aetas. Prima enim tempore Patrum eccleſiaſticorum Manichaeos, Marcioniſtas, aliosque haereticos, impudentes legum & Prophetarum ſiſtit inimicos; altera antinomiam, ab Agricola reformationis aevo excitatam, & in eccleſia Lutherana per ipſius ſocios propugnatam continet; tertia vero magnos, qui noſtro adhuc ſeculo ob legis divinae abrogationem in Anglicana eccleſia orti ſunt, complectitur motus.

Verum enim vero miſſis & his theoreticis aeque ac practicis in eccleſia Antinomis, noſtrum praeprimis eſt, de illis, qui in ſcholis tam inferioribus quam ſuperioribus inveniuntur, uberius verba facere. Horum autem tanta ſeges eſt, tantaque meſſis, quanta docentium aeque ac diſcentium eorum frequentia, qui & dictis & factis hoſtilem ſuum in ſcholarum leges ordinesque declarare animum, haud erubeſcunt. Poſſem quidem Antino-

morum ſcholaſticorum titulo illos etiam judicare dignos, qui ludum litterarium, in quo leges & divinae & humanae docentur, flocci faciunt, variisque impediunt obſtaculis, imo ſi fieri poſſet, eum Juliani Apoſtatae more claudi, omnique viae ad veritatem coeleſtem & humanam hauriendam ſepem praetendi juberent. Quorum ferreum durumque ingenium furore & inſania eo usque adigitur, ut ſcholarum limina odio plus quam vatiniano proſequantur, peſſimos ſuos impietatis ac inimicitiae in rem litterariam declaraturi affectus. Ne vero ab aequitatis ac juſtitiae tramite aberraſſe videantur, acerbiſſimos ſubinde de ſcholarum corruptelis atque vitiis proferunt querelas. Quo nomine alios inter male audit Valentinus ille Weigelius, qui ſcholis nimis inviſus, in Poſtilla ſua P. I. p. 93 ſcribit, "Jeſum ex omnibus Academiis re-"legatum, omnesque Novi Teſtamenti cathedras ex maledictis & "infrugiferis arboribus fabricatas eſſe.,,

Huic Antinomorum ſcholaſticorum generi illos addo, qui palaeſtram juventutis, artiumque domicilium absque legibus, imo absque ordine & conſuetudinibus omnino conſtare poſſe, ſibi perſuadent. Quae vero omnis civitatis, omniumque ſocietatum eſt indoles, ut earum ſalus in lege conſiſtat, ſtatui ac fini convenientiſſima: eadem quoque coetus ſcholaſtici eſt natura, ut niſi praeceptis, docentibus, quid faciendum, quidve in ludo omittendum ſit? ſuffultus ſervetur, parum utilitatis publicae afferat rei, triſtibusque conditionis ſuae veſtigiis relictis, opinione citius pereat.

Major vero eorum Antinomorum in ſcholis eſt copia, qui, ut leges ſaluberrimas, quibus ludus litterarius continetur, omni vita omnique ratione turbent ac deſtruant, tot acuunt mala, quot vix ac ne vix quidem fingi licet. Perverſa horum conamina, legibus inimica, dum prudentiores ac de flore ſcholarum ſolliciti animadvertunt, atque dolentes malo huic pro viribus mederi cupiunt,

piunt, illi caute quaſi obdurati, faces adhibent moeroris, & dum libertatem ab omni legum obligatione meditantur quotidianam, gaudiis exultant, ſi voti ſui compotes aliquando reddantur.

Omnia vero ſcholaſticorum officia ad tria potiſſimum revocari ſolent genera, quorum priora DEVM, ſummi boni auctorem, altera nosmet ipſos, ſcholarum cives, ultima autem alios, quibuscum nobis vivendum eſt, reſpiciunt: & ſicuti haec gratitudine morumque probitate, illa vero diligentia & aſſiduitate, ita pietatis non fucatae exercitio abſolvuntur iſta. Quo antinomiae morbo dum ingens laborat ſcholaſticorum numerus, qui viribus modisque variis ſuam proferunt labem; brevibus eos in apricum ponere juvat.

Quod ad pietatem attinet, virtutum facile principem, atque ſcaturiginem, eam utique leges ſcholaſticae urgent omnes. Cui enim potius quam ſcholarum civi, aut quando magis illa ad omnia utilis exercenda eſt virtus, quam dum ſubſellia inter ſcholaſtica verſatur tyro, cognitionis theſauros auxiliante DEO ſibi acquiſiturus? Ecquid vero in diſciplinis artium ac virtutibus, pietate vera deſtitutus proficiet auditor? certe nihil. Imo dum ethnicorum ſcripta, in quibus quotidie fere deſudat, illi in deſiderio ſunt atque deliciis, eo ſane in majori periculo ejus verſatur anima. Vnde autem tralatitia pietatis cultura, frequens illud in ſcholis oritur malum? niſi ex antinomiae ſcholaſticae ſtudio. Hinc verendum eſt, ne multi ex coetu diſcipulorum, ſpeciem pietatis prae ſe ferentes, veſtigia premant Alexandri Severi, Romanorum Imperatoris, qui inter penates ſuos varios etiam ethnicorum divos divasque, una cum Chriſti imagine poſitos habuit, quos quaſi praeſentes cultu quotidie litavit divino. Fieri enim poteſt, ut pari ratione ſcholarum inveniantur alumni, qui legibus de pietate colenda adverſaturi, cor ſuum non DEO ſoli, ſed mundo inſimul, hujusque ſeculi diis offerunt domicilium.

Alterum, cujus in legibus ſcholaſticis habenda ratio eſt, momentum, quemvis in ludo reſpiciens civem, quantum quantum eſt, indefeſſa abſolvitur diligentia. Hac enim duce, hac comite vaſtiſſimi ignorantiae ſuperantur montes, & exantlatis tot curis, tot laboribus, quot ignorantiae ac barbariei regnum deſtruendum eſt, ad cognitionis rerum tam divinarum quam humanarum pervenimus faſtigium. Quantum vero Antinomorum & hoc nomine in ſcholis deprehendimus gregem, qui omni plane induſtria, etiamſi ingenio valent, deſtituti, legi, diligentiam in ſtudiorum curriculo commendanti, manibus pedibusque contradicunt! Hi ſcholas, a Graecorum σχολῇ, i. e. quiete ſeu vacatione ita dictas, otioſorum aſyla & nihil agentium conventicula eſſe, ſtolide arbitrantur, otium litterarium cum pingui illa ſegnitie turpique pigritia peſſime confundentes. Hinc nonnulli, ut neglecta omni diligentia ſuam quoque publice declarent antinomiam, praeſtantiſſimum illud vel nihil agendo, vel nugis vaniſque ſermocinationibus tranſigunt tempus. Nec hodie demum aut nudius tertius hoc Antinomorum ſcholaſticorum genus, quod multis omnino diſplicet, eſſe coepit, ſed illud jam ſuo tempore exſtitiſſe Plinius docet, in ep. 13 l. I. ita ſcribens: "plerique in ſtationibus ſe-"dent, tempuſque audiendis fabulis conterunt, — tum demum, "ac tunc quoque lente cunctanterque veniunt. Nec tamen per-"manent, ſed ante finem recedunt, alii diſſimulanter & furtim, "alii ſimpliciter & libere.„ Qui contra diligentiores & emunctioris eſſe cupiunt naris, adeo ſaepe delicati inveniuntur, ut illis, quaſi ad ſapientiam jamjam perveniſſent, omnia Praeceptorum ſordeant conamina, niſi cum Orpheo tantam poſſideant virtutem, tantamque eruditionem, ut eorum inſtinctu flumina ſubſiſtant, ſaxa loquantur, ſylvae ſaltent & bruta choreas ducant.

Sed novum occurrit antinomiae ſcholaſticae genus, quo hoſtilem ſuum in leges animum declarat alumnus, qui hominis ingrati

notam

notam incurrere ſatagit. Ingratae utique mentis crimine terra nihil vidit pejus, turpius ſchola aluit nihil. Hinc leges ſcholaſticae pectus beneficiorum immemor atro notandum carbone, & cane citius angueque fugiendum eſſe ſtatuunt. Aſt quot quaeſo inveniuntur, qui licet ſine ſcholarum beneficio fieri non potuiſſent Mercurii, Muſarum tamen fores calcibus inſultant, Lycea pro ergaſtulis, Doctoresque pro ſervis publicis habentes, in quos omnem injuriam, omnemque offenſionem ſibi licere arbitrantur. Hac ratione ſchola vix relicta, aurea illa lex de grato animo in Praeceptores Muſarumque ſedem, in qua ſcientiarum lacte primum innutriti ſumus, ſemper conſervando declarandoque, oblivionis facile involvitur peplo, tritumque illud: puteum, quem hauſiſti, corona, opinione citius memoria excidit humana. A quo Antinomorum ſcholaſticorum grege multum differebat Alexander, qui ad regni gubernacula jamjam admotus, tanto adhuc in Ariſtotelem, Praeceptorem ſuum, ferebatur amore, ut ſumma eum veneratione ſemper proſequeretur, dicens, ſe illi non minus quam Patri debere: quod a Philippo vivendi, ab Ariſtotele autem bene vivendi accepiſſet initium.

Haec vero, quamvis ex variis cauſis ſuam trahat originem, antinomia ſcholaſtica, praeprimis tamen genio ſeculi aliorumque illecebris imputanda eſſe videtur. Ita enim praeſens, in quo vivimus, comparatum eſt tempus, ut quisque genio ſuo indulgere, & quo pulchrius libertatis ſtudium eſſe arbitratur, eo ardentius illud amplecti ſtudeat. Iucundiſſima hinc libertate dum generi humano nihil dulcius, ſuaviusque nihil in terris a DEO conceſſum eſſe, hi credunt homines: ſervitutis jugum frenumque obedientiae, legem puto, hoſtili animo diſcutiunt, ac ſi vera & ingenua libertas cum praeceptis Superiorum conjuncta eſſe nequeat, cum tamen ſine illis vivere, non tam libertatis quam licentiae potius caſtra ac ſtudium ſequi, verius dicatur.

Ne

Ne ergo in vita civili ex ignorantia quoque, multorum errorum matre, antinomiam ſuam quis declaret, indeque habeat, quod in excuſandis actionibus ſuis proferat: ea hinc in omnibus ſocietatibus ac collegiis, rei ſive litterariae ſive alii deditis invaluit conſuetudo, ut ad evitandam omnem legum inſcitiam certis anni temporibus illae publice praelegantur. Cujus igitur ratio cum etiam in Gymnaſio Elbingenſi craſtina, quod DEVS bene vertat! luce, publica auctoritate iterum obſervanda veniat, ſpe lactamur firmiſſima, fore ut, Vos, VIRI ILLVSTRIS, PERMAGNIFICI, GENEROSI, AMPLISSIMI, CONSVLTISSIMIQVE PATRIAE PATRES AC NVTRITORES MVLTIS NOMINIBVS AETATEM DEVENERANDI, ut & Vos EXCELLENTISSIMI, PLVR. REVERENDI, CLARISSIMI, PRAENOBILES, NOBILES, SPECTABILES, HVMANISSIMIQVE MVSARVM PROMOTORES AC FAVTORES, a nobis demiſſe & officioſe exorati, conamina noſtra, ex Majorum praecepto repetenda, aequi bonique conſulatis, hisque otiis litterariis ſplendorem & ornatum haud exiguum honorificentiſſima Veſtra praeſentia concilietis. Erit ſane quo ſingularem hanc & incentivam prorſus Muſagetarum propenſionem non debita modo gratae mentis declaratione ſemper agnoſcamus, ſed in praeſenti quoque luſtrationis actu Eorum expectationi, quantum in nobis eſt, faciamus ſatis. Id quod ut fiat, VIR PRAECLARISSIMVS, DOCTISSIMVSque DN. IOANNES DANIEL HOFFMANN, GYMN. CONR. & P. P. OPTIME MERITVS, IDEMQVE AMICVS NOSTER SVMMOPERE COLENDVS contractum forte ex pulvere ſcholaſtico taedium pulchre elaboratis *de imperio Piaſtorum in Polonia* orationibus, quas indice Nomenclatore optimae ſpei recitabit juventus, omni ſtudio interpolare allaborabit. Faxit DEVS cuncta feliciter! Dab. Elbingae. d. V. Sept. A. MDCCLXIV.

